



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Lectori

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



LECTORI

TRACTATUM hoc fuit ab aliis multis, tum priscis, tum recentioribus argumentum, & sapienter, & piè: ad componendas firmandasque in Deum, temporibus quibusvis, inquietis præsertim & calamitosis, qualia jam olim nostra fuere, Christianas mentes: Eadem ego de causa, cum illud mihi ad privatam meam utilitatem familiare efficere conatus sum: tum
etiam

EPIST. AD LECTOREM.

etiam aliis commendare dicendo, & ad concionem exponendo, maximè abhinc quinquennium, quando externorum militum populationibus Leodiensis ditio ardebat, jam pacata & tranquilla, Deo gratiæ, Serenissimoque Principi Dei administro. Horis interim subcisivis recognovi, & scripsi, quod dixeram, materiamque omnem Commētariis & Excursibus in primum Machabæorum librum intexui: ut argumenti tam fructuosi utilitas non per me
tan-

EPISTOLA

tantum, sed etiam per alios
latius patere posset. Cum au-
tem Excursus iste paullo lon-
gior, quam pro Commenta-
riorum appendice aut parte
evaderet: visum est illum per
se ad publicam lucem produ-
cere, & antambulonis instar
præmittere. Spero futurum,
ut legentium aliqui idem ju-
dicent, quod audientium
multi censuere; non ordinem
modò alium omninò, sed
etiam res non paucas adhuc
intactas à me adduci. Neque
enim tam garrulus sum, ut
post

AD LECTOREM.

post tot sapientes eruditósque viros ad loquendum profiliam, nisi aliquid existimem me habere silentio melius. Sed nec tam alienæ laudis parcus sum, ut qui sequentes ex me velim proficere, ex præcedentibus me profecisse non fatear. Evigilavi, cum Ecclesiastico Siracide novissimus, sicut qui colligit acinos post vindemiatores : aut, sicut Moabitis vidua, spicilegium feci non indiligens, post consanguineos de Christi familia messorum. Simul ex plena
vin.

EPISTOLA

vindemia, & ex demessa segete, non invitis dominis aliquid decerpsi, spicisque & acinis industriâ meâ adlectis commiscui, atque in unum acervum contuli. Inde, Lector, salubrem menti tuæ cibum ac potum, perlegendo & meditando, conficere poteris: teque, & alios, si id muneris tui est, adversus quotidiana eventa comparare, quæ vitam humanam, seu publicè seu privatim, ubicumque tandem agatur, incurfant. Neque enim sub
Sole

AD LECTOREM.

Sole locus est ullus, adeò tranquillus ac stabilis, ubi non volvantur horæ diei, & ubi non fiat, vespere & manè dies unus. Neque ulla tam alta, tamque fundata fortuna est, super quam septem tempora mutari non possint. Isthæc, de argumenti hujus & vetustate & novitate, ideò te præmonendum putavi, ne nauseam & præjudicium ad legendum afferas: imò operæpretium facturum te putes, si postquam aliorum scripta videris, etiam nostra non negligas.

EPIST. AD LECTOREM.

gas. Sic enim comparato,
& sentienti, jucundior, &
quod maximè opto, fructuo-
fior futura est lectio. Placeat,
ut proſit: non autem proſit,
ut placeat.



A P P R O